





4  
DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**BONIS COLLEGII**  
DISSOLVTI CVI CEDANT

• • • • • • • • •  
QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN REGIA VIADRINA  
PRO GRADV DOCTORIS  
IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE IX. MARTII MDCCCLXXXV.

PVBLINE DEFENDET  
AVCTOR  
FRIEDERICVS GEORGIVS BRAVN,  
FRISO - ORIENTALIS EMDANVS  
SOCIETATIS ERVDITORVM CLEMENTISSIME CONFIRMATAE QVAE  
VIADRINAE FLORET ASSESSOR,



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO





ILLVSTRISSIMO DOMINO  
CAROLO ABRAHAMO  
LIBERO BARONI  
DE ZEDLITZ  
REGI BORVSSORVM AB ADMINISTRATIONE  
INTERIORI STATVS ET IVSTITIAE  
ACADEMIARVM REGIARVM SVPREMO  
CVRATORI  
IN AVLA CRIMINALIVM ET CVRIA CONSI-  
STORIVM CAVSSARVMQVE  
ECCLESIASTICARVM PRAESIDI  
ETC. ETC

PATRONO AC MAECENATI

SVMMA PIETATE COLENDO

HOC DILIGENTIAE SPECIMEN

HVMILLIME OFFERT.

A V C T O R.



DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
BONIS COLLEGII DISSOLVTI  
CVI CEDANT?

---

§. I.

*Ratio instituti.*

**C**ollegio dissoluto quaestione habent Doctores de eo, cui dissoluti collegii bona cedant? Ad id, quod quaeritur, verum non idem respondent omnes, dissentient nimis inter se de eius determinatione, cui bona cedunt, dum adsunt qui

A

con-



contendunt, bona ea, quae collegio iam dissoluto  
erant communia, ad Principem recidere, adsunt  
vero quoque, qui in contrariam partem trahuntur.  
Cum autem reipublicae maxime interest, sum  
cuique tribui, cum veteres prudentes hoc primum  
iuris principium esse statuerent, et cum omnes hoc  
totius iurisprudentiae finem esse profitentur: ille dis-  
sensus haud indignus mihi visus est, quem in differen-  
tiatione hac inaugurali examinarem. Ad hoc autem  
feliciter perficiendum, necesse est, me maxime ad ea  
quaesunt iuris et gentium et a gentibus recepti prin-  
cipia configere, ex quorum singulis capitibus pro-  
inde in iis, quae sequuntur, hunc dissensum diudi-  
candi animus est.

§. II.

*Status contiouersiae.*

Ne vero ad rem illatis, quod aiunt, manibus  
aggrediamur, in ipso dissertationis limine expedien-

dum

dum est, quid in controversiam veniat. Hoc loco  
 non est fermo de collegio nec tacite nec expresse a  
 summa Territorii potestate probato seu confirmato.  
 Tale enim collegium, quod a Domino territoriali  
 nec per tacitam nec expressam voluntatis declaratio-  
 num est priuilegium, seu ut cum b. DE LVEWIG  
 (opusc. Tom. II. Lib. III. opusc. IV. pag. 909. litt. t.)  
 loquar, quod Dominus territorialis non habuit ra-  
 tum, agnoscitque, in foro ciuili iniustum est. Nam  
 si quoque ad legum arbitrariarum sanctiones non at-  
 tendimus (L. III. ff. de collegiis et corporibus) ex  
 maiestatis notione colligi potest, nullum collegium  
 existere iustum, quod non a Domino territoriali  
 confirmatum est. Maiestas enim obiective sumta  
 inuoluit ius ciuium negotia examinandi, an ciuita-  
 tis scopo respondeant, an ei repugnant, quo si po-  
 sterius existeret, ipsa negotia prohibeantur et anni-  
 hilentur. Collegium proinde, cuius scopus ac in-



doles a summo Imperante nondum sunt exploratae  
non nisi sine laesione iuris, quod Imperanti com-  
petit, existere potest, et propterea ciuiliter iniu-  
stum est, (DARJES Syst. Iur. publ. vniuers. §. 677.

678. HERTII Diff. de Superioritate territoriali  
§. XVII.) nec in ciuitate iustum habet locum. Ex-  
pediti vero iuris esse, *primo*, talibus collegiis, quae  
vulgo illicita nominamus, nullum ius relictum esse,  
aliquid in ciuitate acquirendi, tam legibus ciuibibus  
constat (L. 8. C. de haer. inst. L. 1. C. de Iud. L. 20.  
ff. de reb. dub.), quam rerum natura docet. Omnes  
enim, qui sine summae, territorii potestatis con-  
firmatione coeunt, delinquunt (L. 3. §. 1. ff. de  
colleg.) et ipse eiusmodi status inuoluit delictum, de-  
linquendo vero nemo valide iura acquirere potest  
(vid. C. vlt. X. de praescript.) Secundo eum, qui  
eiusmodi collegio illicito aliquid legat, quia eius-  
modi legatione consensum in rem illicitam declarat,

legando

legando delinquere, inde ius legata illa post haec re-  
petendi poenae loco amittere. Ex quibus legitime  
sequitur, vt bona ab eiusmodi collegio acquisita aut  
cedant fisco, qui habet ius puniendi, aut iis resti-  
tuenda sint, quibus sine iure adeoque culpose vel  
dolose erupta.

§. III.  
*Continuatio.*

Sed sermo hoc loco est de collegiis, quae vulgo  
licita salutamus, quorum tam ingens est numerus, vt  
si ea recensere consilium esset, hoc non taedio so-  
lum fieret, sed vix ingens tractatus in iis perséquen-  
dis sufficeret. Omnia autem in iis conueniunt, vt  
variis modis bona sibi acquirere possint (L. 1. ff. quod  
cuiusque vniuersitatis nomine) siue tacite siue ex-  
presse fint probata et confirmata atque a Domino  
territoriali rata habita. Expediti vero Iuris est, non  
solum illicita collegia sed quoque licita, vt alias vni-

A 3

uersitates



uersitates dissolui posse. Id vero sit vel morte colle-  
garum et quidem omnium, dum si unus adhuc viuit  
superstes, omnia iura in eum recidunt, (L. 7. §. fin.  
ff. quod cuiuscunque vniuersitatis nomine vel con-  
trarium agatur) vel renunciatione, de qua quidem  
dubitarunt Doctores, sed de hoc alia quadam occa-  
sione, vel reuocatione Principis tam ob delictum  
quam ob urgentem reipublicae utilitatem (HEI-  
NECC. Differt. de coll. et corp. opif. cap. 2. §. 20.)  
Si nunc vel uno vel altero modo collegium proba-  
tum dissolutum est, quaeritur tunc de bonis, quae  
in dissoluti collegii patrimonio erant, ad quem ea  
recidant?

#### §. IV.

#### *Sententia Leyseri.*

LEYSERVS in M. ad P. Spec. DLIX. Med.  
XII. ad hanc quaestione respondet: „quando  
„collegia vesponte vel vi dissipantur, retinet  
„Prin-



„Princeps ius suum, quod per confirmatio-  
„nem obtinuit, nec pati necesse habet, ut collegae  
„bona communia inter se partiantur. Idem nempe  
„ius Principi in haec bona adscribendum est, quod  
„ei *Lex 5. C. de Paganis*, in loca, quae error vete-  
„rum sacrī depūtauerat, attribuit, ut nempe ea vel  
„suāe rei sociare, vel alii collegio aut priuatis etiam  
„largiri possit. Seu vt vno verbo defungar, LEYS-  
„RVS Principi ius bona illa occupandi adscribit.  
Maximam et primariam proinde sui argumenti se-  
dem constituit in Lege 5. C. de Paganis, ybi haec  
verba habentur: „Omnia loca, quae sacrī error ve-  
„terum deputauit, nostrae rei iubemus sociari, quod  
„autem ex eo iure vbi cunque ad singulas quascun-  
„que personas vel praecedentium Principum largitas  
„vel nostra maiestas voluit peruenire in eorum patri-  
„moniis aeterna firmitate perduret. Ea vero, quae  
„multiplicibus constitutis ad venerabilem ecclesiam

„volu-



„volumus pertinere, christiana sibi merito religio  
„vindicabit.“ LEYSERVS proinde meditatur: si  
aliquid collegium probatum ac confirmatum tollitur,  
bona eius fiunt vacua, eandemque indolem acqui-  
runt, quae inerat locis, quae error veterum sacris  
deputauerat, et nihil proinde obstat, cur non Prin-  
cipi idem ius in haec bona adscribendum sit, quod  
ei lex citata in loca per errorem veterum sacris ad  
numerata attribuit.

### §. V.

*Quae in lege non est fundata.*

Sed primo manifestum est, eam LEYSERI  
sententiam in lege citata non esse fundatam. Lex  
enim distinguit *bona*, quae error veterum sacris de-  
putauerat, et *bona*, quae multiplicibus constitutis,  
ad venerabilem Ecclesiam pertinent. De illis qui-  
dem Imperator disponit, *vt rebus Principis socianda  
sint*, de his vero *vt religio christiana ea sibi merito*

vin-



vindicare possit. Iam siat legis interpretatio, et facile erit probare, bona, quae errore veterum sacrissimorum deputata erant, ab imperatore ut bona sumta esse, de quorum domino ex ignorantia invincibili non constat, ideoque ut bona, quae iure pro derelictis habenda (DARIES I.I.N. §.467.), quorum ratione nemo adest determinatus, qui habet ius quemcunque alium ab acquisitione excludendi. Proinde ex ea lege haec solummodo inducenda est regula generalis: *Quoties in ciuitate bona sunt dominio vacua, quorum ratione nemini relatum est ius quemcunque alium ab acquisitione excludendi, toties bona illa rebus principis sunt socianda.* (L. I. C. de bon. acq.) Haec mihi videntur sufficere ad deuoluendam a sententia mea supra posita, nimirum LEYSERI hac de re sententiam in lege supra allegata non esse fundatam, temeritatis culpam. Quoniam vero ab eo, quod conclusio non legitime illata, ad eius falsitatem non valeat

B

con-



consequentia, inquiramus in ea, quae sententiam  
illam LEYSERI limitandam esse, et explicant et de-  
monstrant.

### §. VI.

#### *Nec sine limitatione vera.*

Cum enim vero veritati non sit conueniens,  
Principi ius relictum esse bona cum violatione iu-  
rium, quae aliis competunt, occupandi; conse-  
quens erit: bona dominio vacua rebus Principis so-  
cianda esse, non ante iuste esse affirmandum, quam cer-  
tum fit, neminem alium adesse, cui ius alias ab adqui-  
sitione eiusmodi bonorum excludendi competit. Ve-  
ritas huius principii corroborari atque explicari potest,  
doctrina de iure haereditario. Omni haereditati  
enim contingit, nisi sermo sit de haereditibus nece-  
sariis et suis, qui Romanis erant proprii, nec ad no-  
stra tempora peruerterunt, bona quae in defuncti  
patrimonio erant, fieri dominio vacua. Sed tamen

nemo



nemo erit, qui Principi haec bona rebus suis sociandi  
ius adscribat. Impedimentum enim adest quoddam  
morale, quod iure illius oritur, cuius ratione bona  
illa iacent, id est, qui in bonis illis dominio vacuis  
habet ius reale negotium, propter quod talia bona  
non vnicuique nec Principi sunt occupabilia. Ille  
nimurum, cuius ratione bona iacent, habet ius omnes  
alios ab acquisitione eiusmodi bonorum excludendi,  
nec princeps sine turbatione illius, cuius ratione bona  
illa iacent, ea sibi vindicare potest. Sic se quoque  
res habet cum iure venandi. Fera enim animalia  
sunt quidem dominio vacua, tamen longe abest, ut  
ab unoquoque possint occupari. Fieri enim potest,  
ut aliquis adsit, qui iure gaudet omnes alios ab ac-  
quisitione horum animalium excludendi. Hoc re  
vera contingit, si alicui ius venandi caeteris exclusis  
in fundo quodam concessum est. Tali, qui in fun-  
do feram persequitur et occupat, illum cuius ra-



tionē res iacet, laedit. Ex hisce colligo, eum, qui principi ius bona collegii dissoluti occupandi concedit, primo loco probare debere, nullum adesse, cui ius quemcunque alium ab eiusmodi bonorum acquisitione excludendi relictum sit.

### §. VII.

*Nec satis determinata.*

Ponamus LEYSERI sententiam ex aliis veritatis per necessariam concludendi rationem esse elicitem; nihilo tamen minus eam vagam et non satis determinatam esse, inueniemus. Sumas enim verum esse, domino territorii relictum esse ius ius ea bona occupandi, querendum adhuc erit, quis ille sit princeps, cui bona cedant; contingere enim potest, quod collegium in vnius principis territorio existat, in aliis principis territorio vero bona quedam possideat. Determinare proinde debuisset LEYSER, vtrum illa bona domino territorii, in quo

col-

131

collegium dissolutum existens fuerit, an domino territorii in quo bona illa sita sint, cedant? De response itaque a LEYSERO data hocce facere debeo iudicium, eam esse vagam et non satis determinatam.

### §. VIII.

#### *Quae ad determinate respondendum necessario distinguenda.*

Quae cum ita sunt, facile erit perspicere, ab eo, qui non vague sed determinate atque distincte datam ad quaestionem respondere cupit,

*primo distinguendum esse, vtrum bona illa de quibus quaestio mouetur, collegio dissoluto legata sint, an collegiorum industria adquisita?*

*Secundo, si legata collegio sunt bona, vtrum heredes eius, qui legauit, existant, an eiusmodi heres non existat?*

*Tertio, si heredes eius, qui legauit, existunt, vtrum bona illa soluto collegio iterum ad finem collegio constitutum, an ad alium finem sint adhibenda?*

B 3

Quarto



*Quarto, si bona illa collegiorum industria adquisita sunt, quaeritur, vtrum industria collegiorum viuorum an mortuorum?*

*Quinto, si viuorum collegiorum industria adquisita, vtrum solutio collegii facta ob delictum, an ob aliam rationem, quam salus publica praescribit?*

*Tandem sexto, si solutio ob delictum facta, vtrum ob delictum collegii, an ob delictum collegiorum.* Hasce distinctiones necessarias esse, id commata, quae sequuntur, satis demonstrabunt. De singulis capitulatim satis tamen formabimus regulas, maximo futuras usui ad decidendas controuersias.

### §. IX.

#### *Casus primus.*

*Prima regula sit: Quoties bona collegio sunt legata, et collegio dissoluto eius, qui legauit, non existunt heredes, toties domino territorii ex iure territoriali competit ius bona eiusmodi collegii dissoluti adquirendi.*



quirendi. Ad huius regulae veritatem perspicientiam, quaedam principia praemittere, necesse est. *Primum*, quod hunc in finem notandum est, est divisione rerum, quae res, quae sumitur vel est in dominio, vel nullius dominii, et si posterius, vel solummodo nullius dominii, quoties nimirum aliquis determinatus nempe adest, qui potest moraliter impedire, ne res in dominium alterias transeat, vel simul nullius iuris, quoties nimirum nemo determinatus adest, cui ius quemcunque alium ab ejusmodi rei acquisitione excludendi relictum est, si prius rem nullius dominii in specie talem seu relatiue iacentem, si autem posterius, rem nullius iuris vocabo a). *Secundum*, quod praemittendum est, est

prin-

a) Acquiescent quidem permulti in ea divisione, qua res est vel in dominio, vel nullius, sed ambiguitas nominis *res nullius*, vtrum nimirum si nullius dominii an nullius iuris, rationi veluti tenebras ostendit, ne conuenientiam eorum, quae praescribuntur, sat posse perspicere. Si, exempli gratia, dictum: *veterem thesaurum esse rem nullius*, nihilo tamen minus, L. 63. §. 3. ff. de adq. rer. dominio et L. vn. C. de thesauro, praescriptum, ut is, qui in



principium, quod illa ex divisione induco, nimirum: *Bona, quae in Patrimonio collegii fuerunt, collegio dissoluto sunt res nullius dominii;* Accipe argumentum, quod probat. *Bona collegio, non vero singulis collegiatis sunt legata, et sunt exinde non in dominio singulorum collegarum, sed in dominio collegii.* Si proinde collegium dissipatur,

bona

in fundo alieno data opera veterem inuenit thesaurum, eum domino fundi tradere debeat, nemo, quomodo ultimum praeceptum priori principio congruat, distincte poterit declarare, nisi qui ambiguitatem dicti nominis resoluit, et rem quae solummodo nullius dominii, a re, quae simul nullius iuris distinguunt. Fundamentum distinctionis jam supra datum est. Sumatur nimirum dominium pro specie iuris in re, a taliquis distincta, et res erit nullius dominii cuius ratione nemo adest, qui habet ius eius de rei substantia vel facie disponendi. Sed a negatione iuris de re quadam disponendi, ad negationem iuris quemcunque alium ab eiusmodi rei acquisitione excludendi non valet consequentia. Ergo ex logicis notum est, rem nullius dominii duplice sub determinatione possibilem esse, altera, qua adest, qui in relatione ad eam rem habet tale ius excludendi, altera, qua nemo adest, cui in relatione ad eam rem tale ius excludendi relatum. Vide DARJES *Systema iur. nar. et gent.*  
§. 460.



bona in proprietate esse desinant, siuntque res nullius dominii, quia secundum ius naturae non datur dominium sine modo acquirendi. *Tertium*, quod praemittendum est, est determinata responsio ad quaestionem: vtrum bona illa, quae nullius dominii sunt, solummodo nullius dominii, an simul nullius iuris sint. Haec est responsio: eiusmodi bona, sub data hypothesi, quod nempe heredes eius, qui legauit, non sint superstites, quatenus a iure territoriali abstrahimus, sunt quoque nullius iuris. Nullius enim iuris diximus ea bona, quae nullius dominii sunt, et ad quae acquirenda nemo moraliter impeditur, seu bona, quae primo cedunt occupanti. Bona autem in territorio vacua, si non in relatione ad aliquem iacent, et si a iure quod domino territoriali in talia bona competit, abstrahimus, cedunt primo occupanti. Ergo sunt data sub hypothesi nullius iuris. *Quartum* est, vt ostendam, domino

C

terri-



territoriali in eiusmodi bona, quae sunt in territorio, et quae nec in dominio sunt, nec in relatione ad alios iacent, ius competere, omnes alias ab eorum acquisitione excludendi. Accipe probationem: Domino territorii vi summae potestatis competit ius de iis, quae sunt in territorio, disponendi, ne quid in praeiudicium ciuitatis fiat, et ut commodum ciuitatis, quantum hoc sine aliorum laesione fieri potest, augeatur. Ergo et iuris expleione, quae dat ius ad medla sufficientia, domino territorii vi summae potestatis relictum est ius res nullius dominii, quae sunt in territorio, et quae nullius iuris, occupandi. Occupari enim possunt sine aliorum laesione, quia nullius iuris, et commodum ciuitatis ea occupatione augeri posse, per se patet. Quare, cum bona illa collegii dissoluti sub hypothesi, quae sumta, sint res nullius non dominii solum, sed et nullius iuris, consequens erit, ut soli domino territorii vi summae  
potest.



potestatis ius bona illa occupandi sit relictum. *Hinc*  
concludo: Bona illa, quae collegio dissoluto legata  
sunt, heredibus eius, qui legauit, non existentibus.  
a. nemine iuste, nisi a domino territorii, adquiri  
possunt b).

## C 2

## §. X.

b) Hanc ad nostram thesin magis corroborandam coronidis loco  
doctrinam de *dominio eminente* subiungimus, quod **GROTIO** de  
Iur. Bel. et Pac. Lib. I. Cap. III. §. 6. n. 2. est *ius quod ciuias habet*  
*in ciues et res ciuium, ad usum publicum*, qui tamen ipse etiam  
supra Cap. I. §. 6. facultatem eminentem eam esse dixit, *quae com-*  
*munitati competit in partes, et res partium boni communis caussa.*  
Sed ius, quod in ciuitate vniuersitati competit, est ius Maiestaticum.  
Ergo substituamus definitionem, qua *Epplein* in *Horn.*  
p. 290, **GROTIANAE** definitionis sensum exprefsiorem nobis  
his verbis dedit, *Dominium eminentis est ius Maiestatis, quod com-*  
*petit in res ciuitatis et ciuium ad usum publicum, quounque ordinario*  
*sive extraordinario modo exercendum.* Hocce ius secundum sen-  
tentiam **GROTI** summis ciuitatum Imperantibus ex primaeva  
bonorum communione relictum est, quia sublata communione,  
ea, quae membris non assignata, iuriis vniuersitati competenter  
maneant. Ea vero iura in ciuitate merito maiestatica sunt. Sed  
huic sententiae Grotianae non congruo. Mea enim ex sententia  
primaeva illa bonorum communio est fictio, quam **GROTIUS**  
secundum suam de dominio absoluto doctrinam formauit. Fi-  
ctionem dixi, quia Deus primis hominibus non rerum domi-  
nium



## §. X.

*Qui magis euoluitur.*

Thesis, cuius veritatem in praecedente §. demonstrare operam dedimus, quoque corroborari potest parte prima L. V. C. de paganis c). Vbi Im-

perator

nium, sed ius eas occupandi concessit. Ideoque dominia merito inter iura non'absoluta sed hypothetica referenda sunt. Nihil tamen minus pro certo pon, dominium tale emens summis Imperantibus summa ex potestate in territorio competere. Hac enim ex potestate legitime descendit ius omnia, quae sunt in territorio, in commodum ciuitatis ea ratione, qua hoc sine aliorum laetione fieri potest, dirigendi. Manifestum inde est, ius illud, quod in communate demonstrauit, esse consecutarium ex dominio eminente. vide CONRINGII Dissert. de Dominio eminente, ROETENBECCII Diss. Logico-Politicam dominii eminensis conceptum indagatorem, et DARJES in Praelect. ad summum ius naturae, §. 682 seq.

c) Si dixi huius theses veritatem per c. L. corroborari, nihil aliud intelligi volo, quam quod id ius, quod principi ex principiis iuris gentium attribuimus, quoque legibus romanorum respondere. Postquam enim CONRINGIVS et PVENTOREFIVS iuris publici prudentiam purgarunt: nemo sibi persuadebit, ius publicum Iustinianum in Germania habere vim obligandi, THOMASII Dissert. de inutilitate brocardi vulgaris, quae sunt in territorio, praesumuntur, esse de territorio, §. 1. CONRING. cap. 35. de O.iur. Germ. Eiusd. proem. ad Tacit. de moribus Germ.

perator iubet omnia loca, quae error veterum sacris deputauerat, suis rebus sociari. Ea loca autem ab imperatore pro talibus sumta esse, de quorum domino ex ignorantia invincibili non constat, iam in praecedentibus diximus. Erant proinde quoque nullius dominii, et si a iure territoriali abstrahimus, quoque nullius iuris; quod ius proinde LEYSERVVS principi in bona collegii dissoluti omnimodo atque fine villa exceptione tribuit in determinato casu ex hac lege quoque principi adscribendum esse concedimus d). Simul etiam ad eam quaestionem respon-

C 3

dere

- d) Confer. HEIDERI Dissert. de regal. fisci principum Germ. circa acquisitionem cap. II. §. I. litt. c. „Si enim addicantur fisco res quae nullius sunt, nihil auferunt singulis, nisi potestas expandi; at haec incerta ac valde dubia, et solummodo iuri permissione est. Eadem est ratio rerum quarum dominus ignoratur, hae enim reuera nullius sunt. Neque tam aegre ferunt subditos in rebus nondum acquisitis aut quarum possessionem, a qua dominium naturaliter incipit, nondum nacti sunt, aut in rebus perditis, quarum recuperandarum spes exigua aut valde dubia est, illa spes acquirendi ipsis plane auferatur, quam si de bonis acquisitis aliquid fisco dare cogantur.“



dere possumus, an bona dissoluti collegii domino in cuius territorio collegium fuit existens, seu an domino in cuius territorio bona sita sunt, cedant. Quia enim ius territoriale ideoque domininium eminentis nullum effectum habet extra territorium, et ius illud occupandi, de quo hoc loco sermo est, solummodo ex iure territoriali atque dominio eminenti fluit, consequens est, hocce ius occupandi soli domino territoriali, in cuius territorio bona illa existunt, relictum esse.

### §. XI.

#### *Casus secundus.*

Regula secunda sit, quando bona collegio legata sunt, et collegio dissoluto ea non in eum converuntur finem, ad quem obtinendum a legatore destinata, haeredibus legatoris competit ius legata repetendi. Huius regulae ratio ex iis, quae sequuntur,

evidens



cuidens est. Eiusmodi enim legatione naturalis succedendi ratio restringitur, cessante itaque restrictio-  
nis ratione, cessat quoque eius effectus, ergo res succedat, secundum naturalem succedendi rationem.

Quoties itaque res, quae in alterum ob causam futu-  
ram honestam translata est, non ultra in talem finem conuertitur, toties quoque aequum est, ut datum danti restituatur. vid. L. III. §. 7. ff. de condic.  
caussa data caussa non secuta L. 65. §. 4. ff. de con-  
dic. indebiti. Danti itaque, ergo et legatori, eo in casu competit ius bona, quae non amplius in finem, quem legator destinauerat, adhibentur, re-  
petendi. Tale ius ad haereditatem legatoris perti-  
nere, ex ipsa haereditatis notione manifestum est.  
Haereditas enim est patrimonium a defuncto reli-  
ctum, ideoque complexus omnium eorum, quae in bonis defuncti realicer, id est, cum libertate alien-  
nandi fuerunt. Inter ea vero data sub hypothesi ius

illud



illud repetendi referendum esse, sine dubio sumi potest. Sequitur exinde eiusmodi ius, bona nimirum illa data sub hypothesi repetendi, legatoris competere haeredibus.

### §. XII.

#### *Qui magis illustratur.*

Ad illam regulam secundam magis corroborandam notandum est

I) eo in casu bona collegio dissoluto esse quidem bona dominio vacua seu res nullius dominii, minime vero res nullius iuris. Nullius iuris essent, si haeredes eius, qui legauit, non existerent, cum vero posita hypothesi tales existant haeredes; bona in relatione ad eos iacent, et iis competit ius omnes alias ab acquisitione talium bonorum excludendi. Princeps proinde ea bona non iuste rebus suis sociare potest, nisi dominium exerceat eminentis extraordinarium, de quo ZIEGLERVS

in

❧

in commentario GROTIANO p. 46: *iusta cauſſa,*  
*quae cum necessitate et utilitate publica eſt coniuncta,* principi hoc permittit, ut bona ſubditorum,  
*etiam non consentium alienare poſſit.* Etsi enim  
*lex naturalis alteri ſuum auferre prohibeat, lex ta-*  
*men alia ſuperior iubet, ut ſalus publica procure-*  
*tur.* Conf. PUFFENDORF de I. N. et G. Lib.  
 VIII. Cap. 5. §. 7. HENNIGIS Tract. de ſumma  
 Imperatoris Rom. potestate circa ſacra Cap. IX,  
 §. 2. p. 762. CONRINGII Diff. ſupra cit. Thes. 7.  
 DARJES I. N. §. 700.

- 2) Simili ratione in iure feudal i valere argumentationem, offendam. Feudum enim datum si ponimus mortuis iis, qui ex pacto feudal obligati erant, cedit domino directo. Tali enim in feudo per ipsius feudi naturam praesumi debet, dominum directum rem cum reſeruatione quadam, primi nimirum dominii, alienaffe. Quoties itaque

D

finis,



finis, ob quem dominus rem alienauit, cessat,  
totes quoque alienatio ipsa tollitur; ideoque re-  
seruatio illa ad actum ducitur, et domino directo  
dominium rei in feudum datae cedit. Feudum  
vero oblatum si ponimus mortuis iis, qui ex pacto  
feudali obligati erant, nisi pacta aliud statuant, ce-  
dit heredibus ultimi possessoris, eiusmodi enim  
feuda fuerunt proprietates possessorum in feudum  
oblatae, ideoque presumendum est, ea, magna  
ex parte primaeuam naturam allodiale seruasse,  
quod bene monuit DE LYNCKER *Vol. II. Resp.*

*CLI V. no. 5. MEVIVS P. VIII. DEC.*

*CCLXXVIII. n. 5.* Ex quo manifestum est,  
data sub hypothesi cessare caussam ob quam na-  
turalis succedendi ratio restricta fuit, et ob quam  
a domino directo primum dominium reseruatum  
esse presumitur. Cessante vero caussa cessat ef-  
fectus. Ergo eadem ex ratione, ex qua §. XI.

argu-

argumentati sumus, concludimus: in *dubio*  
praesumendum esse, ut eiusmodi feuda, quoties  
aperta, allodialibus aperiantur heredibus. Conf.  
DE LVDEWIG Tom. I. Opusc. Lib. II. opusc. I.  
p. 678. not. i. MÖLLER in *vñu pratico* dist. feu-  
dal. Dist. VIII. p. 144 sq.

### §. XIII.

#### *Casus tertius.*

Regula tertia sit

*Si bona collegio legata sunt, et collegio dissoluto le-*  
*gatoris quidem heredes existunt, bona vero illa a do-*  
*mino territorii ultra in talem finem, ad quem a lega-*  
*tore sicut destinata applicantur, a domino territorii vi-*  
*iuris territorialis merito atque optimo iure bona illa*  
*occupantur, quo iterum in finem a legatore destinatum*  
*conuertantur. Fundamentum huius regulae est,*  
*quod bona illa dissoluto collegio sint bona nullius do-*



minis; in territorio existentia; et quia ad finem, ad  
quem a legatore destinata sunt, posthaec applican-  
tur, nemo existat qui habet ius bona illa repetendi,  
vid. supra §. XI. manifestum inde est, eiusmodi bo-  
na data sub hypothesi accipere naturam bonorum  
nullius iuris, ideoque domino territorii ius ea bona in  
talem finem occupandi competere. Vid. BOEHM.  
ius eccles. Protest. Tom. II. Lib. III. Tit. 5. §. 28.  
Ius autem quod principi competit, collegii dissoluti  
bona ultra in talem finem applicandi, non est ius  
obligatorium, sed liberum, pro suo arbitrio pro-  
inde princeps hoc iure suo vti potest, vel non. In-  
ter alios HORNBECK contrarium docet, assuerans,  
secularisationi obstatre, ultimas voluntates et funda-  
torum intentionem, quae supremae testatorum  
voluntates et donationes secundum placita donan-  
tium seruandae sint, ex quibus sequeretur, princi-  
pem obligari, talia bona iterum in talem finem appli-  
candi.

candi. Hoc vero negamus. Intentio enim legato-  
ris rectae rationi aduersa esse potest, ad quam ser-  
uandam nec heredes, minime vero princeps, obli-  
gari possunt. Si proinde finis, ob quem donator  
legauit, stultitia emergat, princeps prohibere pot-  
est, bona amplius in talem finem conuerti. Vid:  
THOMASII dissert. de bonorum saecularisatorum  
natura §. 13.

### §. XIV.

#### *Respondetur ad dubia.*

Sed fortasse dixerit quispiam: *primo* bona illa  
a legatore collegio legata sunt. Ergo dissoluto col-  
legio cessat effectus legationis, ideoque heredes le-  
gatoris, si existant, ius habent bona illa repetendi,  
et ea valeant, quae supra §. XI. demonstrata; sed  
*respondeo* bona collegio legantur, vt in certum finem  
conuertantur, consequens ergo est, *vt ipsa lega-*



tione ad tales finem obtainendum destinata sint, ex quo sequitur, huic fini legata si conuenienter applicantur, neminem adesse, qui iure gaudeat bona illa repetendi, ergo principi ius bona illa in tales finem occupandi relictum est. Secundo, dubium atque controuersum manere, vtrum ius illud domino territorii, cui collegium illud, an cui bona illa inclusa relictum sit. Sed principia supra demonstrata rem efficiunt claram, quibus ius territoriale ad limites territorii restrictum esse euolutum est.

## §. XV.

### *Casus quartus.*

Quarta regula sit.

*Si bona collegii mortuorum collegiorum industria acquisita sunt, ea bona collegio dissoluto habent naturam bonorum, quae collegio sunt legata, ergo si heredes existant, et collegiitoris bona non amplius in tam*

lem



*lem finem conuertantur, illis competit*et ius bona illa re-**

*petendi. Si vero non existant, princeps bona rebus*

*suis sociare poterit, valentque ea, quae in regula pri-*

*ma, secunda et tertia posita sunt. Si attendimus ad*

*rationem, quae eiusmodi bonis dat naturam bono-*

*rum collegio legatorum, inueniemus, bona, quae*

*collegiotorum industria acquisita sunt, esse effectus*

*virium collegiotorum, eosque ipsa natura ad eos per-*

*tinere. Cum porro ea bona collegio a collegiatori-*

*bus acquisita sunt, consequens est, ut a collegiatis*

*ea, quae per naturam sua sint, translata sint in TO*

*suum collegii, ad finem collegii conseruandum et*

*obtinendum. Hoc quoque contingit in legatis per*

*definitionem legati, proinde cognoscimus, bona*

*quae mortuorum collegiotorum industria collegio*

*existant propria, ab iis, qui industria sua ea acqui-*

*suerunt, esse quasi legata. Quare cum posita eadem*

*ratione sufficiente idem quoque ponendum, quod ea*

*ratione*



ratione constitutum, consequens est, ut regula prima, secunda atque tertia supra demonstratae ad controvèrsias, quae hypothesin hoc in commate summatam inuolunt, componendas sufficient.

## §. XVI.

### *Casus quintus,*

Quinta regula sit.

*Si bona collegii viuorum collegiorum industria acquisita sunt, et collegium non ob delictum, sed ob salutem publicam e) a summa potestate dissolutum est,*

*aequitas*

\*) Si queritur de causis iussis praeter delicta, ob quas collegium reuocari potest, distinguendum est, vrum collegium priuilegium gratis acceperit, an ille, qui priuilegium concessit, pacto interueniente gratiam suam pretio compensari percessus fit. In ambobus casibus quidem priuilegium ob reipublicae necessitatem seu utilitatem tolli posse concedimus. Si enim pridilegium in damnum et perniciem reipublicae inuergere incipit, et utilitas priuata cum publica pugnat, priuata publicae cedat necesse est. Si autem inter priuilegia gratioſa et ea, quae titulo oneroso existunt, distinguimus, indicare cupimus, illa hisce facilius



*aequitas iubet, ut bona illis cedant, a quibus acqui-  
sita sunt.* Ratio enim ob quam collegati effectus  
virium suarum non sibi acquirebant, nulla alia est,  
quam quia collegio obligati fuerunt, id suas vires in  
scopum conseruandi ac obtainendi finis collegii adhi-  
bendas. Sed collegium dissolutum est sine collegia-  
torum culpa (per hypothesin), ratio ergo cessat,  
quare naturale consecrarium, quod nempe quisque  
virium suarum effectus sibi acquirat, restrictum.  
Ideo quoque naturale illud consecrarium restituitur,  
bonaque, quae collegitorum industria existebant com-  
munia collegio, naturam bonorum accipiunt, quae col-

legiati

lius reuocari posse. Nam si priuilegium mera lex est, i. e. si  
nulla alia causa exstat, ob quam priuilegium concessum est, quam  
voluntas superioris, priuilegium toties vel restringitur, vel ex-  
tenditur, vel tollitur, quoties superioris voluntas mutatur.  
Vid. SCHAVMBVRG, dissert. de natura priuilegiorum tam gra-  
tiosorum quam conventionalium §. 21 seq. et BOEHMERI  
Ius publ. vniuers. Part. II, Lib. II, cap. III, §. 55 seq.

E



legati sibi acquisuerunt, in dominiumque singulo-  
rum collegiorum transeunt.

### §. XVII.

*Qui magis euoluitur.*

Illustrari hoc potest iis, quae supra §. XI. po-  
sita sunt. Demonstrauimus nimirum, haeredibus  
legatoris ius competere, bona, quae non amplius in-  
finem a legatore destinatum conuertuntur, repeten-  
di. Sicut enim legatione naturalis succeedendi ra-  
tio restringitur, sic etiam obligatione, qua colle-  
giati collegio obligati sunt, naturalis eorum sibi ac-  
quirendi facultas restringitur. Cessante proinde  
caussa restringente, cessat quoque id, quod per  
hanc caussam ponitur, facultasque sibi acquirendi,  
non amplius restringitur, et effectus virium suarum,  
quos propter statum singuli non sibi acquirebant, iis,  
si haud ob delictum dissipantur, restitui, aequitas  
iubet.



iubet. vid. L. III. §. VII. ff. *de condicēt. caussā data caussā non secuta.* Idem corroborari potest, Lege III. pr. ff. *de collegiis et corporibus.* Hac lege permittitur collegiatis, qui contra mandata, senatus consulta et constitutiones coeunt, collegio dissoluto, bona, quae habent communia, partiri. Non vero de omnibus collegiis illicitis hic sermonem esse ex §. 1. h. leg. et leg. II. huj. tit. constat, sed de iis tantum, quorum collegiati in nulla alia culpa verantur, quam quod sine speciali concessione coeant. Si ad seditionem tendunt, aut si finis, propter quem coeunt, in perniciem reipublicae vergit, ea poena tenentur, qua tenentur, qui hominibus armatis loca publica vel templo occupasse iudicati sunt. Vid. VOET. *Comment. in ff. Lib. 47. tit. 22. §. 1.* Si vero collegiis illicitis bona partiri permissum est, multo magis licitis hoc ius concedi aequitas iubet. Hoc quidem negat LEYSER (*meditat. in ff. speci-*



men 559. Med. 13.), sed cum essentiale discrimen inter licita et illicita collegia est, ut illa a principe sint confirmata, haec non, ex confirmatione proinde ius impediendi, ne collegati bona communia inter se partiantur, principi adscribendum esset, quod ex notione confirmationis, cum confirmatio declaratio imperantis est, subditorum negotia saluti publicae haud repugnare, non colligi potest. Ex quibus sequitur, iure etiam a gentibus recepto corroboratum esse, collegatos bona, quae habebant communia, sua industria acquisita, collegio dissoluto, sed non ob delictum, inter se partiri posse.

### §. XVIII.

#### *Casus sextus.*

Sexta regula fit:

*Si collegium dissolutum est ob delictum collegii e), bona*

*collegii*

*e) Distinguendum est inter delicta, a collegio commissa, et ea, quae  
a fin.*

*collegii industria collegiorum viuorum acquisita iusle  
confiscantur.* Bona enim illa aut manent bona col-  
legii, aut seruantur iis a quibus acquisita sunt, aut  
cedunt fisco. Primum non habet locum, quia col-  
legium dissolutum est, alterum non est, quia colle-  
giati, a quibus collegio acquisita sunt, tale commi-  
serunt delictum, ob quod collegium dissolutum est,  
fructus proinde industriae socialis poenae loco non  
percipere possunt, quia rationi repugnat alicui con-  
cedere ius, quod delinquendo adquisiuit. Sunt ita-

E 3

que

a singulis collegiatis perpetrata sunt. Si delictum collegio im-  
putari debet, non sufficit, ut plurima vota adfint, ratione enim  
delicti plurima vota non concludunt, sed requiritur, ut omnes  
collegiati vel tacite vel expresse consentiant, tacite aurem con-  
sentire censentur, si non impediunt cum impedire debuissent ac  
potuissent. Inde quoque praefidi imputari non potest iniustum  
decretum rotius collegii vel maioris partis, quod ille dissentiendo  
impedire non potuit. Vid. LEYSERI medit. ad ff. specim.  
533. med. 13. Consentire vero omnia quoque uniuersitatis  
membra censentur, quae quidem ab initio ad delictum commis-  
tendum non conspirarunt, sed tamen postquam id rescuerant  
ratum habuerunt. Vid. L. 152. de diuersis regulis iuris.



que bona illa dominio vacua, quorum ratione nullus adest, qui habet ius fiscum ab eorum acquisitione excludendi, data itaque sub hypothesi, apud superiorem remanent, sive iuste confiscantur.

### §. XIX.

*Qui magis euoluitur.*

Sed iterum quaeritur de subiecto, cui eiusmodi ius confiscandi relictum est, vtrum domino territorii in quo collegium existens fuit, an domino territorii in quo bona illa sita sunt. Haec quidem regula: *Bona confiscari ob delictum a territorii domino, vbi reprehenduntur a permultis, quantum quidem sciam, est indubitata.* Sed non sine ratione iudico, eam limitandam esse, et accedo ad sententiam FARRINACII Tom. I Lib. I. Tit. III. Quaest. 25. n. 108. pag. 371. et distinguo res absolute mobiles ab absolute immobilibus. Bona enim mobilia personam

con-



condemnati concernunt, nec territorio circumscri-  
buntur, ergo non confiscantur iure territoriali, sed  
iure puniendo, quod superiori loci, vbi collegium  
fuit existens, et vbi delictum commissum, compe-  
tit. Si itaque sint in alieno territorio, tunc ille, qui  
est superior loci, vbi delictum commissum est, ius  
suum puniendo per eius auctoritatem exercet, in cu-  
ius territorio bona sunt. Atque proinde huius iuris  
exercitium in iis territoriis locum habet, in qui-  
bus potestas vna alteri suppetias ferre debet. Sic a  
fisco Hispaniae merces in Brasilia contra leges vendi-  
tae et in Angliam delatae iuste vindicantur. Bona  
vero immobilia, quae sunt pars territorii, iure terri-  
toriali confiscantur, ergo a domino territorii, quo  
bona sita sunt.

### §. XX.

#### *Casus septimus.*

Regula septima sit:

*Si*



*Si bona industria collegiorum viuorum acquisita sunt, atque ipsum collegium ob delictum collegiorum dissolutum est, ratione innocentium valet, quod §. XVI. et XVII. ratione nocentium autem quod §. XVIII. demonstratum est. Collegiati proinde innocentes bona, quae sua industria collegio acquisita erant, partiri possunt, ita, ut unusquisque bonorum eorum dominus fiat, quae per cuiuscunq; vires adhibitas collegio existebant. Illi enim, qui non deliquerit, alteriusque delicti haud particeps factus est, delictum alterius non imputari potest, quod accideret, si, cum poenae loco tantum ab illorum bonorum partitione excludi potest, ob aliorum collegiorum delicta ius suum amitteret. Nocentes vero industriae socialis fructus poenae loco non percipere possunt, sed cedunt ei, qui habet ius puniendi.*

§. XXI.



## §. XXI.

*Casus octauus.*

Quaeritur porro, sit casus:

*Collegium dissolutum est ob delictum aut collegii aut collegiorum, et bona collegio legata sunt, haeredes vero eius, qui legavit, existunt, quaeritur cui cedant bona.* Hic casus resoluitur in regulam secundam atque tertiam supra §. XI. et §. XII. demonstratas. Quoties nimirum dissoluto collegio bona iterum conuertantur in eum finem, ad quem a legatore destinata, toties ob rationes §. XII. datas cedant domino territorii. Quoties vero eum in finem non conuertantur, toties ab haeredibus legatoris ob rationes §. XI. positas recte ac iure repeti possunt. Pruvatio enim eiusmodi iuris repetendi, quod data sub hypothesi legatori relictum, et quod mortuo legatore ab eius haeredibus iam adquisitum est, sine dubio est poena. Quamobrem, cum punire sit effectus

F

impu-



imputationis, delicta vero aliena ei non possint imputari, qui ut eiusmodi delicti caussa moralis non potest spectari; haeredes legatoris ob aliena delicta a collegio vel collegiatis commissa eo iure repetendi non possunt priuari.

## §. XXII.

*Qui magis illustratur et confirmatur.*

Sunt, qui argumentationem, qua §. XXI. vni sumus, eneruare cupiunt doctrina de confiscatione bonorum ob crimen laesae Maiestatis decreta, qua etiam liberi ideoque haeredes delinquentis bonis, quae fuerunt patri delinquenti, priuantur, licet liberi omnem culpam a se legitime amouere possint. Vid. de BOEHMERICI ius criminale Sect. XI. cap. V. Sed illis haec oppono, bona patris delinquentis non possunt confiscari, nisi quae in patris patrimonio. Vid. FARINACIVM I. supra citato pag. 360 seq. in eiusmodi



modi vero bonis liberi, qua tales, viuo patre nul-  
lum adquisuerunt ius, sed tale solummodo post obi-  
tum patris in patrimonio a patre relicto adquirere  
possunt. Facta vero confiscatione bonorum ob cri-  
men a patre commissum a patre nullum relictum est  
patrimonium, ergo dici non potest, confiscatione illa  
liberos iura amisisse. Nihil enim amittere possum,  
nisi quod meum fuit. Quare, cum poena est ma-  
lum passionis, quod infligitur ob malum actionis,  
malum vero passionis semper priuationem inuol-  
uat; sequitur, ut id, quod dicta sub hypothesi li-  
beri patris delinquentis nullum adquirere possint pa-  
tronum a patre relicturn, liberorum ratione non  
sit poena, sed casus, quem patiuntur; casus vero a  
poena omnino distinguendus est. vid. GROTIUM  
in I. B. et P. Lib. XI. cap. XX. §. 1. et cap. XXI.  
§. 12. 13. Ratione haeredum, de quibus §. XXI.  
dictum est, res aliter se habet. Haeredes illi ius il-



Iudicium repetendi non acquirunt a collegio vel collegiatis, sed adquisiuerunt a legatore, collegio adhuc existente et collegiatis viuis. Ergo inter ea non referenda sunt, quae ob delictum collegii vel collegiaturum in fiscum iure possunt transire. Sententiam hancce exemplo quodam declarare placet; praemissa tamen hac cautela, ut dissentientes rogentur ad nervum comparationis attendere, non euagari animo, et fortassis exceptionibus suis in allotria. Consideremus possessorem feudi, qui ob commissum feloniae crimen feudum amisit. Iam porro attendamus ad euentum. An ea amissione simul eum, qui ex primi acquirentis pacto succederet, ius in illud feendum succedendi amittere sit praesumendum? Pro certo pono, hoc non esse praesumendum. Successor enim in feendum ius in feendum succedendi non ab ultimo feudi possessore, sed ex primi acquirentis pacto adquisiuit, ergo non est tale, quod ob ultimi possessoris

❧

cessoris delictum confiscationi obnoxium; sed ut  
cum FARINACIO l. c. loquar: *Eiusmodi bona, ob  
crimen nimirum a possessore commissum, non pos-  
sunt confiscari, iquoad perpetuam utilitatem et com-  
moditatem, confiscantur tamen durante vita delin-  
quentis quoad usumfructum etiam in praeiudicium sub-  
stituti, cui postmodum adueniente morte naturali ipsius  
delinquentis eadem bona confiscata per fiscum resti-  
tuuntur.* Demonstrationem huius theoriae vide in  
DARIES *Iure feudali vniuersali* §. 45. et auctoritate  
satis corroboratam in THEODORI HOEPING. con-  
sil. posth. Consil. IX. p. 346.

### §. XXIII.

#### *C o n c l u s i o .*

Exhibuimus hucusque regulas, quae ad deci-  
dendas insignes controuersias usum praestare pos-  
sunt. Quum vero facile possit errari in tam diffusa

G

materia,



materia, si solummodo generalibus regulis velimus adhaerere, alio quodam tempore in hoc ipso argumento secundum regulas illas casus quosdam examinaturi sumus. Hoc loco satis. Sed cui haec non sufficiant, suadeo illi, ut praestet meliora.

F I N I S.



EXCEL-



EXCELENTISSIMO ATQUE PRAECLARISSIMO  
DOMINO

DAVID BRAVN

POTENT. REGI BORVSSIAE IN REBUS BELLICIS COMMISSARIO

MERITISSIMO

PATRI AVCTORIS HVIVS DISSERTATIONIS  
INAUGVRALIS SVAVISSIMO

S. D. P.

IO ACHIM GEORG DARJES

CONSILIARIVS REGIVS INTIMVS, ACADEMIAE VIADRINAE DE-

RECTOR ET ORDINIS ICTORVM H. T. PRO-DECANVS.

**V**id, quod PLATO de spe praedicauit, dulcem nimurum spem optimam esse senectutis nutritiem, omnino verum est optima de spe, quam pater in futura filii sui felicitate potest ponere. TE, VIR EXCELENTISSIME, bona ea spe complere ratio est, ob quam TIBI de FILIO optimae spei hisce litteris gratulor. Suum desiderium, vt iuris veriusque Doctoris gradus, sibi conferatur, mihi declarauit. Ex concluso ORDINIS NOSTRI ad utrumque examen admittens est, et studiorum suorum rationes ita reddidit, vt spem exploreret et integre quidem, quae me in eius dilectionem traxit. Satis enim respondendo ad quaestiones sibi propositas demonstrauit, te doctrinam de iure cum philosophia, non ea, quae a multis doctis scientia de moribus, sed cum vera, quae est rerum diuinarum et humanarum notitia copulasse, quae copula secundum VLPIANI sententiam est de essentia Iuris Doctoris. Supererat publicum specimen, quod hac in dissertatione edit, qua sicut primas veluti lineas maioris operis, atque regulas ostendit, ex quibus controvergiae illufres decidi debent. Sit res controverfa, quae tamen defendi potest. Conatus ipsius laudo; et summos in iure honores magna cum animi laetitia ILLI statuan. Haec sunt VIR EXCELENTISSIME ex quibus legitime spes de futura FILII TVI felicitate deducenda, quae certissima erit, si studia sua ulterius ita sit profequitur, quo in digni NVMINIS gloriam vergant, hoc vero ab eo facturum esse non vagis declaro varicationibus. Iterum itaque VIR EXCELENTISSIME TIBI ex animo gratulor. Vale et me, qui ad quodlibet officiorum genus futurus sum paratissimus, ama! Dab. Viadrinæ die VIII. Mart. MDCCCLXXXV.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO CONSULTISSIMO  
C A N D I D A T O  
S. D. P.

IOACHIM AB EXTER,

HAMBVRGENSIS,

I. V. DOCTORANDVS.

**S**i vnum est tempus, quod gratum nobis acceptumque habetur, tum illud sane non modo iucundum verum etiam exoptatissimum est, cum alienae felicitatis participes reddimur. Laetus inde ad TE me vero AMICE SVAVISSIME, quem hodie virtutis pariter ac industriae studiisque indefessi praemii ornatum video. Solemnis hic est dies, quo post comprobatam virtusque iuris scientiam, cuius in dissertatione TVA publice aliorum examini submissa, haud contemnenda edidisti specimina, doctoris locum ascendis. Gratulor TIBI AMICE ornatissime, quo bearis honoris gradum, cui ut quaevis bona felicia atque fausta annexa sint ex toto animo precor, et quidni omni quo hominem frui fas est felicitatis genere dignum TE putem? Extant atque luce clariiores sunt ingenui TVI pariter ac animi virtutes, quibus multis verbis immorari non lubet. Serues, quod hucusque mihi tribuisti amici nomen TIBIQUE certissime persuades nullum vñquam tempus fore, quo TVI non sim menor eaque omnia quae ab amicissimo homine profici si possunt studioffime praefiturus.

Vale resque TVAS age feliciter! Dabam Francofurti ad Viadrum di- VIII, Mart: anno MDCCCLXXXV.

Frankfurt a. O., Diss., 1776-97


ULB Halle  
007 520 611

3



N 718





DISSE<sup>1785</sup>TATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**BONIS COLLEGII**  
DISSOLVTI CVI CEDANT

• • • • • • • • • •

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN REGIA VIADRINA  
PRO GRADV DOCTORIS  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE IX. MARTII MDCCCLXXXV.

PUBLICE DEFENDET  
AVCTOR

FRIEDERICVS GEORGIVS BRAVN,  
FRISO - ORIENTALIS EMDANVS  
SOCIETATIS ERVITORVM CLEMENTISSIME CONFIRMATAE QVAE  
VIADRINA FLORET ASSESSOR,



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO

